Lēctiō	tertia	Dē	Olympō II.	Tū	es	Phoebus	Apollō,	fīlius	Iŏvis,	almus	Sōl,	frāter	Dīānae.	Arcum

aut	lyram	tenēs:	mŏdŏ	arcum	tendis,	mŏdŏ	Mūsās	dūcis.	Futūra	canis,	vātibus	grātus	es.	Ōrāculum	in	terrā

Delphicā	tenēs.	Mŏdŏ	morbōs	pestemque	hominibus	mittis,	mŏdŏ	arcēs.	Etiam	poētis	grātus	es,	virginēs

et	puerī	integrī	hymnōs	tibi	saepe	canunt.	Tū	es	Dīāna,	fīlia	Iŏvis,	dea	Lūna,	soror	Apollinis.	Domina

silvārum	et	bēstiārum	es,	arcum	et	pharĕtram	cum	sagittīs	geris.	Nymphās	virginēsque	dūcis.	Sed	etiam	fēmĭnae

puerperae	tē	vocant.	Frātrī	et	tibi	virginēs	et	puerī	integrī	saepe	hymnōs	canunt.	Tū	iocōsus	Mĕrcurius	es,	fīlius	Iŏvis

nuntius	deōrum.	Cādūceum	tenēs.	Grātus	es	deīs	superīs	et	īmīs.	Animās	hominum	in	īnferōs	dūcis,

iūs	hospitiī	dēfendis.	Lyram	īnfāns	facis,	posteā	lyram	frātrī	Apollinī	trādis.	Frātrem	iuvenem,	Bacchum	īnfāntem

cūrās.	Facētiās	iocosās	diligis.	Tū	es	iuvenis	Līber,	sīve	Bacchus,	fīlius	Iŏvis.	Frāter	tuus,	Mercurius	et	Nymphae

tē	cūrant.	Iuvenis	es	inter	superōs,	ŭxor	tua	est	Ariadna.	Tū,	Līber	hominēs	cūrīs	līberās.	Ūvās	vīnumque

hominibus	dās.	Hominibus,	quī	tē	nōn	colunt,	mala	multa	dās.	Tū	flāva	Cerēs	es,	soror	Iŏvis,	dea	frūgum,

frūges	hominibus,	prīmum	iuvenī	Triptolemō	dās.	Fīliam	tuam,	Proserpinam	Plūtō,	rēx	inferōrum	rapit.	Tunc,	māter	misera,

fīliam	diū	dēsīderās.	Proserpina	invīta	rēgīna	inferōrum	est.	Hominēs,	imprīmīs	Athēniēnsēs	Sicĭliēnsēsque	tē	amant.

Saepe	Victōriam	tenēs.	Tū	es	claudus	Vulcānus,	fīlius	Iūnōnis,	deus	īgnis.	Artēs	labōrēsque	dīligis,	saepe

in	rēgnō	inferōrum	es.	Hastās,	galeās,	clipeōsque	hominibus,	et	fulmina	Iŏvī	facis.	Ŭxor	tua	est	Vĕnus	aurea.

hominēs	tē	colunt	dīligūntque.	Vesta	es,	soror	Iŏvis,	īgnis	aeternus.	Familiās	feminăsque	dēfendis,	Virginēs	Vestālēs

tē	colunt	et	īgnem	cūrant.	Plūtō:	Cūr	mē	nunquam	in	Olympum	invītant?